

magistratui nomen demarchi mansisse et Strabo auctor est (l. c. supra p. 170) et Hadriani vitae scriptor (c. 19: *fuit apud Neapolim demarchus*), unde potissimum intellegitur hunc magistratum summas res Neapoli tractavisse: neque enim ulli honores municipales imperatori mandabantur nisi et summi et veri. Etiam in ordine honorum frequens est δημαρχίσας (C. I. Gr. 5790. 5797. 5799. 5810. 5811?; Fiorelli cat. Graec. n. 54) vel *demarchisas* (n. 1491), comparetque honor *demarchiae* in titulis Latinis aliis duobus n. 1478. 1492, quorum hic videtur esse saeculi p. C. quarti. At in decretis quae habemus aut ἄρχων ad senatum refert (n. 1489 et C. I. Gr. 5838 v. 13. 18; cf. ἀρχοντικός ib. 5799) aut ἀντάρχων (C. I. Gr. 5838 v. 6) aut ἀρχοντες duo (n. 1490) nominaturque praeterea ἄρχας τεσσάρων ἀνδρῶν (C. I. Gr. 5796), ut liquido appareat vere Neapolim ut reliqua municipia fuisse sub IIIviris aliis iure dicundo, aliis aedilicia potestate, nomine autem illos potius usos esse Graeco modo archontum modo demarchorum, modo denique alterum archontem appellatum esse, alterum antarchontem, nisi magis placet hunc habere pro praefecto iure dicundo. Itaque si Neapolis quamdiu libera fuit a singulis demarchis annuis recta est, ut videtur esse, Romani in demarchi locum demarchorum duorum collegium substituerunt. Similiter quinquennalitatem quoque instituerunt, qui magistratus appellatur ἄρχων ὁ διὰ πέντε ἑτῶν τιμητικός (C. I. Gr. 5796) sive ἄρχων ὁ πενταετηρικός (C. I. Gr. 5797). — *Aedilis* officium non innotuit nisi sub Graeco nomine ἀγορανομίας (n. 1490; C. I. Gr. 5799); *aedilis Augustalis* tituli n. 1493 diversus videtur esse et fortasse sacerdos potius quam magistratus, cum qui ita dicitur praeterea magistratis plane abstinuerit. — Ad quaesturam quod attinet qui solus comparet n. 1491 *Hvir alimentorum quaest/or curator* *sacrae pecuniae*, fortasse non est nisi quaestor pecuniae sacrae alimentariae parum apte indicatus. — *Curator Neapoli* vir ordinis senatorii reperitur vol. III n. 6154. Agonothesia (n. 1481 imp. Titi; item n. 1487; C. I. Gr. 5806 nobilis eiusdem Romani), gymnasiorum (n. 1481 imp. Titi, C. I. Gr. 5796. 5811?), scribatus (n. 1489. 1494; C. I. Gr. 5797) Graeca fere consuetudine in honorum ordinem passim admittuntur, ut item *cura frumenti comparandi* (n. 1491). Accedit *arkarius rei publicae* servus n. 1495. — Senatus appellatur modo θουλή (n. 1490; C. I. Gr. 5826. 5883, 14. 5990 b), modo σύγχλητος (C. I. Gr. 5799), modo οἱ ἐν προσχλήτῳ (n. 1489; C. I. Gr. 5838), quod vocabulum respondens fere consilio publico alibi non reperio: decernendi forma in omnibus etiam minimis expressa est ad Romanam. — Sacerdotum adest *augur* n. 1493 nec dubium est pontifices quoque Neapoli fuisse. Singularis est *flamen Virbialis* n. 1493. *Augustalis* unus tantum inventur n. 1872, quem quidem constet ad Neapolim referendum esse. Sacerdotia origine Graeca non est ut persequar; unum addo λαυκελαρχίαν (C. I. Gr. 5790. 5796) significationis obscurae sacerdotiis

adnumerandam videri, quoniam ea functi decuriones et adlegisse videntur et sacris Hebonis initiasse (C. I. Gr. 5790 b in titulo Heboni dedicato: ἐκλεχθεὶς εἰς τὴν ἐπισημοτάτην βουλὴν ὑπὸ τῶν λαυκελαρχησάντων καὶ ἐξ ἔθους μοιηθεὶς). — Populi distributio secundum φρητρίας sive *phetrias* (n. 1491) sub Romanis quoque mansit; eam non enarro, cum tota vertatur in titulis Graecis memorata tantummodo in unico Latino. *Regionum* quae labente certe aetate fuerunt una tantum certa est *Herculanensium* (n. 1492); duea aliae *Palatina* n. 1700 et *Thermensium* n. 1680 pari iure tam ad Neapolim referri possunt quam ad Puteolos.

Agri Neapolitani inscriptiones ut ad sua quasque oppida revocare arduum est et in plerisque omnino perfici nequit, ita omnium maxime anceps est quaestio de titulorum origine Neapolitana. Non enim homines solum affluunt Neapolim, sed ipsi lapides eodem comportantur erudenter ibi sunt adeo cippi duo ingentes alter Abellanus n. 1208, alter Minturnensis infra edendus; multo magis idem evenerit necesse est in Puteolanis Cumanis Misenatibus. Omnino ita res se habet, ut parum valeat in Neapolitanis testimonium de lapide eruderato quod alibi sufficeret ad originem tituli determinandam. Titulos denique qui in musea Neapolitana congeruntur usus docuit plerosque Puteolanos esse et Misenates vel adeo urbanos, raro proferri inde effossos in ipsa Neapoli. Quam ob rem hoc capite eos tantum titulos exhibui, quos aut argumentum Neapoli vindicaret aut de inventione testimonium ita comparatum, ut de origine dubitari non posset, quod cadit in cryptarum sepulcrorum quosdam et in christianos coemeteriorum. Ex illo genere est sepulcreum repertum a. 1761 ad S. Annuntiatae, de quo vide adscripta ad n. 1507; item alterum a. 1810 eruderatum ibi ubi nunc ipsum est museum publicum (v. n. 1502. 1503. 1514), de quo scripsit Laurentius GIVSTINIANI (*memorie sullo scoprimento di un antico sepolcro Greco-Romano* ed. 1 Neapoli 1812. 8. pp. 193; ed. 2 Neapoli 1814 [potius 1815]. 8. pp. 223); tertii similis sepulcreti gentilicium cum inscriptionibus mentionem repperi in actis publicis d. 9 Mai. 1790, sed eae inscriptiones quaenam sint, nescio. Inter christianas primum locum obtinent inscriptiones repertae in cryptis S. Ianuarii, quibus addidi paucas reliquas aetatis Christianae, quae Neapoli innotuerunt non in museis inventae, sed aut eruderatae ibi loco antiquo aut certe repertae collocatae in opere. Si exiguis numerus est Latinorum titulorum, quos hoc caput complectitur, ferenda sunt urbi ipsa celebritatis et Graecitatis incommoda.

De auctoribus quaestio cum ad universum hunc agrum perveniat, alegamus lectorem ad praefationem Puteolanorum, ubi ea quoque pertractata sunt, quae ad Neapolim pertinent.

1478 [=244] epistylum rep. Neapoli, nel mentre si buttavan le fondamenta per un edifizio vicino alla strada detta dell' Anticaglia, postea apud Hier. Mazzam M. H. MAZA. Nunc in museo publico.

HERCVLI · INVICTO · P · VERG · RESTITVTVS · OB INSIGNEM NVMINIS
HOÑORE DEMARCHIAE & PERFVNCTVS · AIDICVLAM · ST^Atuit

Descripsi et recognovi. Maza apud Mur. ms. 21, 231, ed. 1989, 4 a Como; Fiorelli cat. n. 1066. Orelli 3800.

1479 [=248] Neapoli apud illustrissimum ducem Calabriae advectum ex Pausilipo IVC.; in lapide invento in monte Pausilypo, per quem est illa crypta Neapolitana excavata AVG. In villa Bernardi Martirani III m. p. a Neapoli sub Vesuvio monte ACC. PIGH. SMET. In interiore cavaedio hospitalis S. Antonii extra portam Capuanam, in Puteolana cripta effossum GIORD.; similiter SVMM. CAP. Extat Neapoli apud Ioan. Carafam 'Nojae ducem ingens Mithrae anaglyphum' MAZOCCHI spicil. bibl. 2 (1766), 86, ubi hoc videtur intellegi. Iam Neapoli in museo inter anaglypha.

OMNIPOTENTI DEO MITRHAE APPIVS
vir nudus extrahens taurum ex antro appositis iuxta
luminibus et fascibus Avg.
CLAVDIVS · TARRONIVS · DEXTER · V · C · DICAT ·

Descripsi et recognovi. Iucundus f. 118, a quo pendent Lilius f. 173 et Bononius cod. Trai. f. 131, cod. Ott. f. 40; Augustinus cod. 3492 f. 36, cod. 3528 f. 39 et apud Metellum cod. Vat. 6039 f. 330 inter Iucundiana Gulielmi (inde Apian. 123, 4); Accursius IV n. 2; Falco ed. 1549 f. b8 (ex Falcone Corradus cod. Vat. 5244 p. 577. 621); Pighius cod. Lugd. p. 7, cod. mus. f. 8 et a Pighio Smetius 21, 16 (ex eo Grut. 34, 1); Schradaeus mon. f. 252; Giordanus ms.; Summonte 1, 76 qui aere expressit; Capaccius l. 1 c. 14 p. 197 item; Lupoli opuscula p. 52; Lajard *recherches sur Mithras* tab. 83, qui recte aere expressit; Avellinius inscr. mus. Borb. p. 45 n. 68.